

Ecce Agnus Dei qui tollit peccatum mundi.

✠ Lécctio sancti Evangélii secúndum Ioánnem 1, 29-34

In illo témpore:

- ²⁹ Videt Ioánnes Iesum veniéntem ad se et ait:
«Ecce Agnus Dei, qui tollit peccátum mundi.
- ³⁰ Hic est, de quo dixi:
Post me venit vir, qui ante me factus est, quia prior me erat.
- ³¹ Et ego nesciébam eum, sed ut manifestétur Israel, proptérea veni ego in aqua baptízans».
- ³² Et testimónium perhíbuit Ioánnes dicens:
«Vidi Spíritum descendéntem quasi colúmbam de cælo, et mansit super eum;
- ³³ et ego nesciébam eum, sed, qui misit me baptizáre in aqua, ille mihi dixit:
“Super quem víderis Spíritum descendéntem et manéntem super eum, hic est qui baptízat in Spíritu Sancto”.
- ³⁴ Et ego vidi et testimónium perhíbui quia hic est Fílius Dei».

Verbum Dómini.